

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA EUCHARISTIÆ.

Cum in Eucharistiæ sacramento duplex sit materia, duplex similiter debet esse forma. Sed in ea determinanda et in genuino sensu ejus assignando quidam varie errant.

Bucer contendebat nulla verba esse proferenda; Calvinus formam apud nos usitatam magicam incantationem appellat, vultque verba institutionis per modum concionis, ad excitandam fidem, pronuntiari. Chemnitius cum aliis Lutheranis dicit hæc verba esse simul concionatoria et consecratoria. Hodierni Protestantes, quidquid supernaturale est rejicientes, nullam vim tribuunt verbis quibus Eucharistia consecratur.

Græci, post verba consecrationis apud nos usitata, quamdam pronuntiant orationem qua petunt ut panis fiat corpus et vinum sanguis Domini: quidam inter theologos eorum dicunt hanc orationem ad formam essentialem pertinere, ut videre est apud Arcudium, l. 3, cap. 27 et seq. Ejusdem sententiæ est P. Lebrun, t. 5, et contendit invocationem quæ apud Latinos verba institutionis præcedit ac in omnibus liturgiis invenitur, ad validitatem consecrationis necessarium esse.

Innocentius III, Tractatu *de Sacramentis*, l. 4, de sacro altaris mysterio, cap. 6, docet sane dici posse Christum divina virtute confecisse sacramentum, et postea expressisse formam sub qua posteri consecrarent. Alii dicunt illum quædam pronuntiasse verba nobis incognita; alii denique bis dixisse, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, una vice ad consecrandum, et altera ad porrigendum corpus et sanguinem suum.

1º Certum est verba consecrationis non esse tantum concionatoria: patet tum ex modo quo Christus Eucharistiam instituit et ex sensu Ecclesiæ, tum ex iis quæ in Tractatu *de Sacramentis in genere* diximus.

2º Sepositis variis opinionibus de verbis ad essentiam sacramenti requisitis, apud omnes constat valere consecrationem, dummodo verba institutionis et invocatio quæ ea apud nos antecedit et apud Græcos sequitur, debite pronuntietur. Nulla igitur est ratio cur ex diversis theologorum opinionibus aliquod suboriatur dubium.

3º Sive Christus sola benedictione, nihil dicens, consecraverit, sive verba nobis incognita pronuntiaverit, sive verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, usus fuerit, ad nos parvi refert: sufficit ut sciamus quam adhibere debeamus formam.

4º Communiter docetur Christum corpus et sanguinem suum effecisse, dicendo, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; plurima enim citantur Patrum testimonia quæ alium non patiuntur sensum, v. g., Tertull. contra Marc., l. 4, cap. 40: « Acceptum panem..... corpus illum suum » fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo. » S. Ambros. vel alius auctor, de Sacramentis, l. 4, cap. 4, de Eucharistia loquens, ait: « Consecratio autem cujus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. » Et eo sensu loquitur concil. Trid., sess. 13, cap. 1. Hæc tamen assertio non est de fide, ut omnes fatentur.

5º Certum est preces liturgicæ consecrationem antecedentes vel immediate sequentes, ut apud Græcos, ad essentiam sacramenti non pertinere, sed sola hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; idque constat 1º ex numero præcedenti: si enim Christus his solis verbis consecraverit, alia non sunt adhibenda ut essentialia, nisi in Scriptura, vel in traditione inveniuntur præscripta: atqui talia verba non inveniuntur præscripta: ergo. 2º Vi verborum corpus Christi est sub specie panis et sanguis sub specie vini: duplex ergo debet esse forma sicut duplex materia: atqui preces liturgicæ utrique materiæ sunt communes: ergo. 3º Apud Græcos sicut apud Latinos statim post verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, sacramentum adoratur: ergo creditur Christum esse præsentem ante Spiritus sancti invocationem. Itaque, si petatur quod panis corpus et vinum sanguis

Christi fiant, id ita intelligendum est, scilicet, « ut fiant » nobis in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, et non fiant in iudicium et condemnationem nostram. » Sic Papæ eos interroganti responderunt ipsi Græci in concilio Florentino: *Labbe*, t. 13. Unde Latini consuetudinem eorum non redarguerunt. Ergo.

6° Si ob aliquem defectum iteraretur consecratio, a verbis *Qui pridie quam pateretur* incipiendum esset pro pane, et a *Simili modo*, pro vino, ut habet expresse Rubrica.

7° Ad validitatem consecrationis requiritur et sufficit ut sensus verborum non mutetur substantialiter, juxta quod diximus in Tractatu *de Sacramentis in genere*. Unde 1° nulla vel dubia est consecratio si dicatur adverbialiter: *Hic est corpus meum, hic est sanguis meus*; vel: *Hoc corpus est meum, Hic sanguis est meus*; vel: *Hoc est substantia mea, Hoc est corpus Christi*; vel: *Hoc fit, hoc sit corpus meum*, etc., quia in his omnibus casibus sensus non est idem. 2° Si, e contra dicatur: *Hic cibus, hic potus, hæc res est corpus meum; est sanguis meus; hic calix est novum Testamentum in sanguine meo; Hic est sanguis meus infiniti valoris*, etc., valeret, sed graviter illicita esset consecratio. 3° Plures et quidem graves theologi arbitrantur, pro consecratione sanguinis, præter verba, *Hic est calix sanguinis mei, sequentia novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, essentialia esse; quia sola virtutem sacramenti exprimunt et pleraque ab ipso Christo prolata sunt: quamvis sententia opposita communior et probabilior videatur, certum est consecrationem sine his verbis factam habendam esse ut dubiam et sub conditione iterandam. Ita S. Ligorius, l. 6, n. 224.

Pronuntiatio vitiata aut imperfecta judicanda est ex iis quæ diximus in Tractatu *de Sacramentis*.

8° Curare debet celebrans ne aliquid omittat vel imperfecte pronuntiet, et tamen ab omni repetitione sedulo abstinere; quia talis sanctissimorum verborum prolatio vera est erga Christum irreverentia: stet Rubricæ sic se habenti, titulo 5, n. 2: « Si celebrans non recordetur se

» dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, » non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet » se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate sacramenti, resumat formam. Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentialia omisisse, iteret formam saltem » sub tacita conditione. »

CAPUT QUARTUM.

DE EUCHARISTIÆ MINISTRO.

Duplex distinguitur minister Eucharistiæ, unus consecrationis et alter distributionis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MINISTRO CONFECTIONIS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Quidam veteres hæretici de quibus S. Irenæus, contra Hæres. cap. 13, n. 2, S. Aug., Hæresi 27, munia sacerdotalia laicis et ipsis etiam mulieribus tribuebant. Valdenses efficaciam sacramentorum ex sanctitate ministri repententes, dicebant sacerdotem, peccati mortalis reum, valide consecrare non posse, bene vero id posse laicum probatum. Lutherus variis in locis asserit quoslibet Christianos, vi Baptismatis, potestatem consecrandi habere; eam tamen, ad vitandam confusionem, exercere non posse, nisi vel legitime fuerint vocati, vel urgens necessitas ad id eos compellat, v. g., ut ait Grotius, si desit pastor et urgeat sacramenti necessitas.

PROPOSITIO.

Soli sacerdotes Eucharistiam valide consecrare possunt.

Prob. Scriptura sacra, traditione, concilio Trid. et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Christus enim sacramentum Eucharistiæ instituens, solis Apostolis hic recumbentibus, ac proinde solis sacerdotibus eorum in eo, ut ex tota tradi-

tione constat, successoribus dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* : ergo soli sacerdotes hanc habent potestatem. Ergo 1°.

2° *Traditione*. S. Epiph., Hæresi 79, ait : « Neque diaconis ecclesiastica regula concreditum est peragere » sacrificii mysteria, sed ministrare tantum dum perficiuntur. » S. Hieron., Dialogo adversus Lucif, 2 part. de Hilario diaconō et Luciferiano dicit : « Neque Eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens : » Concil. Nicæn. 1, can. 18, *Labbe*, prohibet ne diaconi communionem presbyteris distribuunt, eo quod « nec canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi » potestatem non habent iis qui offerunt dent corpus » Christi. » Ergo.

3° Concilio Trid., sess. 22, can. 2 : « Si quis dixerit » illis verbis, *Hoc facite*, etc., Christum non instituisse » Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique » sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; ana- » thema sit. » Propositionem nostram strictis verbis non definit, sed eam evidenter supponit. Ergo 3°.

4° *Ratione*. Si laici radicalem habuissent potestatem consecrandi, nonne Ecclesia permisisset saltem anachoretas, vitam angelicam in desertis agentes, vel confessores fidei in carceribus detentos, ea uti potestate, ne sacramento adeo sibi necessario privarentur? atqui tamen id nunquam permisit : in primis Ecclesiæ sæculis hi sancti viri et etiam simplices fideles divinam Eucharistiam asportare et sibi administrare poterant, consecrare vero nunquam. Ergo.

Si autem fideles dicantur a B. Petro, I Epist. II, 9, *regale sacerdotium*, et in Apocal. I, 6, *regnum et sacerdotes Deo*, id intelligendum est lato sensu, quatenus sacrificium laudis, orationum et honorum operum Deo offerunt. *Sacerdotium sanctum*, inquit ibidem S. Petrus, ibid. n. 5, *offerre spirituales hostias*.

Quidam obijciuntur canones concilii Arelatensis, anni 314, Ancyрани, ejusdem anni, etc., ex quibus inferre volunt adversarii diaconos sacram Eucharistiam confecisse.

Verum 1° non de consecratione divinæ Eucharistiæ intelligendi sunt, sed de illius administratione aut de participatione ad illius consecrationem, quatenus diaconi episcopis et presbyteris celebrantibus assistebant ; 2° ad summum probarent aliquos diaconos potestatem consecrandi ex ignorantia vel ex malitia usurpasse, sed nihil inde sequeretur.

Quæritur an plures ministri eandem hostiam et idem vinum simul consecrare possint.

R. affirmative, modo oblata sint omnibus moraliter præsentia, et omnes verba consecrationis eodem instanti pronuntiant; prolatis quippe verbis formæ, species certo sunt consecrata: at consecratio uni potius quam aliis tribui non potest : ergo omnibus attribuenda est.

Disputatur an novi presbyteri cum episcopo in ordinatione celebrantes reipsa consecrent : quidam negant ; quia 1° materia non sufficienter est præsens ; 2° formam non nisi post episcopum pronuntiant ; 3° sub specie vini non communicant. Alii vero probabilius affirmant, nitunturque 1° textu Pontificalis episcopum monentis « ut bene » advertat quod secretas morose dicat et aliquantulum » alte, ita ut ordinati sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent » eodem momento per ordinatos quo dicuntur per pontificem ; » 2° Rubrica qua in eodem Pontificali statuitur absolutionem ante communionem novis presbyteris non dandam esse, *quia concelebrant pontifici*. 3° In consecratione episcopi, apud Latinos consecrandus et consecrator simul consecrant eandem hostiam et idem vinum. 4° Juxta ritum ecclesiæ Cenomanensis, feria V in cœna Domini, ad consecrationem sanctorum oleorum, duo parochi simul cum episcopo celebrant et consecrant. 5° Apud Græcos, in locis in quibus unicum est templum, presbyteri episcopum circumstantes cum illo consecrant. Ergo. *Ad rationes sententiæ oppositæ respondent* 1° materiam esse moraliter præsentem et hanc præsentiam sufficere ; 2° verba formæ eodem momento, ex Pontificali, pronuntianda esse a novis presbyteris et ab episcopo, et insuper episcopum non ha-

bere intentionem consecrandi independenter a novis presbyteris, ac proinde sensum verborum ab ipso prolatorum manere suspensum donec accedant verba aliorum celebrantium; 3° novos presbyteros sub unica specie communicare, quia non sunt principales celebrantes, et ad perfectionem sacrificii sufficere ut principalis celebrans utramque sumat speciem. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MINISTRO DISTRIBUTIONIS EUCHARISTIÆ.

Duplex est distributionis Eucharistiæ minister, unus ordinarius et alter extraordinarius. Id intelligendum est de ministracione licita: nam, cum sacramentum istud per se subsistat, ab omni persona valide administrari posset.

PROPOSITIO PRIMA.

Soli episcopi et presbyteri sunt ministri ordinarii distributionis Eucharistiæ.

Prob. 1° Scriptura sacra. Soli episcopi et presbyteri sunt ministri confectionis Eucharistiæ, ex his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*; at qui sacramentum istud conficiunt, eo ipso illud administrare possunt; 2° concilio Trid., sess. 13, cap. 8, ubi legitur: « Semper » in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes » seipsos communicarent; » 3° auctoritate S. Thomæ, 3 part., q. 82, art. 3, et omnium theologorum.

Attamen aliqua requiritur jurisdictio in sacerdote ut Eucharistiam licite administret. Nam 1° conditio est sacramentorum ut non nisi ab habentibus jurisditionem licite administrentur. 2° Pastorum est oves suas pascere: at inter actus pascendi gregem computanda est Eucharistiæ administratio. 3° « Religiosi qui clericis aut laicis » sacramentum Extremæ-Uctionis vel Eucharistiæ ministrare... præsumperint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem apostolicam dun-

» taxat absolvendi; » Clement. l. 5, tit. 12, cap. 1. Quare autem hæc censura, si nulla requireretur jurisdictio? Ergo qui absque ulla jurisdictione Eucharistiam administraret, mortaliter peccaret; insuper inferior sacerdote id faciens, irregularitatem incurreret. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 234.

Sufficientem autem habet jurisditionem 1° qui ad celebrandum in aliqua admittitur ecclesia, nisi rector ecclesiæ positive contradicat; 2° qui missam celebrat in oratorio privato, ubi, ex concessione episcopi, Eucharistia asservatur et fidelibus petentibus distribui solet; seclusa vero speciali concessione, consecrare non posset in sacello privato, ut communionem petenti ministraret; licentia quippe celebrandi missam in hujusmodi oratoriis non importat facultatem Eucharistiam asservandi, nec sacramentum aliquod ibi administrandi; 3° regulares, privilegiis Julii II, Pauli III et Pauli IV, bulla Clementina modo citata posterioribus, facultatem obtinuerunt ut « omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ, sacramentum Eucharistiæ... quibusvis personis licite ministrare possint. »

Notandum ab hujusmodi privilegiis semper excipi 1° vicarium quod, absque licentia parochi vel episcopi, aut vicarii generalis, administrari non potest: attamen in casu summæ necessitatis hæc licentia præsumi potest; 2° primam et multis in locis secundam, imo quandoque tertiam communionem puerorum, qui sub hoc respectu proprio parochi specialiter subjiciuntur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Diaconi sunt ministri extraordinarii distributionis Eucharistiæ.

Prob. ex traditione. S. Just., Apol. I, n. 65, de Eucharistia agens, dicit: « Qui apud nos dicuntur diaconi, panem, et vinum, et aquam in quibus gratiæ actæ sunt, unicuique presentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt. » Concil. Nicæn. I, can. 14: « Quod



» si non fuerit in præsentia vel episcopus vel presbyter, » tunc ipsi (diaconi) proferant et edant. » Concil. Aquisgran. anno 816 celebratum, cap. 7, *Labbe*, t. 7 : « Sicut » in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio est : » ille oblata sanctificat, is sanctificata dispensat. » Multa alia citari possent testimonia. Ergo.

Diximus eos esse ministros extraordinarios; qui enim ministrare non debent nisi defectu episcopi et presbyteri, et ex commissione, sunt ministri extraordinarii : atqui tales erant diaconi respectu sacramenti Eucharistiæ, *ut patet* ex concilio Nicæno modo citato, ex concilio Carthaginens. IV, can. 38, sic se habente : « Diaconus, præ- » sente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, » si necessitas cogat, jussus eroget ; » *Labbe*. Ergo.

Usus in primis sæculis invaluerat ut diaconi universe ministrarent Eucharistiam, ex commissione generali episcopi. Nunc eam ministrare non possunt nisi specialem habeant delegationem, saltem parochi. In nostra diœcesi requiritur delegatio episcopi aut vicarii ejus generalis, qui de sufficientia causæ allegatæ judicat.

Plures apud S. Ligorium, l. 6, n. 237, dicunt communem esse sententiam quod, in extrema necessitate, diaconus adhuc posset et teneretur viaticum sine commissione moribundo administrare, et superpelliceo cum stola transversa indui deberet. Tale factum apud nos est omnino inauditum.

Nullus clericus diacono inferior fuit in Ecclesia minister etiam extraordinarius dispensationis Eucharistiæ : at tamen olim quandoque sanctissimum illud sacramentum committebatur minoribus clericis vel etiam laicis qui illud ad alios deferrent, *ut patet* exemplo S. Tharsicii, acolythi et martyris, qui, sacramenta Domini deferens, a paganis mactatus est fustibus, ut legitur in Martyrologio, et pueri qui, a sacerdote infirmo missus, *Eucharistiam propria manu Serapionis ori admovit*; Theodoret Hist. l. 6, c. 44.

Hæc autem consuetudo a multis sæculis inolevit, et nullus, sive clericus inferior, sive laicus, sacram Eucharistiam, sicut olim, accipere, deferre, in domo sua habe-

re, sibi vel aliis ministrare posset [sine expressa summi Pontificis dispensatione. Ita communiter theologi cum S. Th. contra plures qui tenent veterem consuetudinem non esse abrogatam pro casu extremæ necessitatis, præsertim si licentia episcopi accedat, v. g., tempore pestis. Vide S. Ligorium, l. 6, n. 237, quæritur 2 et 3.

Quæritur an, urgente necessitate, aliquis sanctam Eucharistiam sibi administrare possit.

R. 1°. Habita sacerdotis copia, nullus, ne sacerdos quidem extra missam, communionem sibi licite ministrare potest, quia contra generalem Ecclesiæ disciplinam sine causa sufficienti ageret. *Sic generaliter theologi.*

R. 2°. Supposito quod sacerdos, in gravissimo mortis periculo constitutus, cui alius præsto non est sacerdos, divinam Eucharistiam e sacrario, vel de manu diaconi sacram pyxidem] deferentis, sumere possit, se ita communicare potest et tenetur. Sic Durandus, *Suarez*, *Harbert*, *Collet* aliique communiter theologi qui, ultra progredientes, dicunt [sacerdotem, alterius sacerdotis adjutorio privatum, sola] devotionis causa, v. g., in solemnibus festo et secluso] scandalo, seipsum communicare posse; quia nulla est irreverentia erga sacramentum nec aliqua Ecclesiæ prohibitio.

R. 3°. Quod de sacerdote dicitur, multi ad diaconum ministerio sacerdotis destitutum extendendum esse volunt; quia, ex concilio Nicæno] I, can. 14, diaconus, in absentia episcopi et sacerdotis, Eucharistiam olim ministrare poterat : id autem pro casu necessitatis nulla lege prohibetur. Porro si aliis sacramentum istud ministrare possit, cur non sibi in pari necessitate constituto? Ergo. Sic *Suarez*, *Vasquez*, *Quarti*, *Collet*, *Billuart*, S. Ligorius, etc.

R. 4°. Quoad clericos diacono inferiores et laicos, communis sententia est eos non magis sibi quam aliis Eucharistiam ministrare posse, ut jam diximus, et hæc opinio sola nobis videtur tenenda.

Notanda circa tempus, locum et modum sacram Eucharistiam administrandi, asservandi et ad absentes deferendi.

1° *Tempus communionis.* 1° Decretum S. Cong. Rituum

diei 10 feb. 1622, prohibet ne sacra communio distribuatur fidelibus feria sexta in Parasceve: datur tantum ægrotis periclitantibus. Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 3, cap. 18, n. 14, docet nullis, sabbato sancto, nisi infirmis, ministrandam esse Eucharistiam, et idcirco, in sola missa, quam celebrare licet hac die, quæ est missa noctis Paschæ anticipata, non cantari antiphona quæ appellatur communio, quia communio non est distribuenda. Sic S. Cong. Rit. die 22 martii 1806, apud Gardel, t. 5, p. 82. Cæteris diebus eam dispensare licet. 2° Qualibet hora diei, per se loquendo, communio distribui potest, inquit S. Liguorius cum multis aliis, quia hac de re nulla existit prohibitio. Attamen, ex hodierna disciplina, consuetudine firmata, dari non debet nocte, nec sub vesperis; sed licite datur valde mane, quando missa celebratur, et etiam post meridiem. 3° Dari non deberet in missa Nativitatis Domini quæ dicitur de media nocte, ut definiit sacra Cong. Rit. per decretum supra citatum et per alia plura, ut docent expresse Bened. XIV, de Missæ sacrificio, l. 3, cap. 18; *Ferraris*, v° *Euch.*, n. 29; S. Liguorius, l. 6, n. 252, etc. Quidam, attestante *Ferraris*, ibid., a sacra Cong. petierunt ut « liceat in nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam missam, alias duas » immediate celebrare et communicare fideles. Sacra » Cong. respondit nullo modo licere, sed omnino prohiberi. » Contrarius usus apud nos ubique viget. 4° Convenit ut communio intra missam, statim post communionem sacerdotis, fidelibus distribuatur: talis fuit usus per duodecim priora sæcula. Id supponit concil. Trid., sess. 22, cap. 6, dicens: « Optaret quidem sacrosancta synodus ut in singulis missis fideles adstantes, » non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam » Eucharistiæ perceptione communicarent. » Rituale Romanum ait: Communio autem populi intra missam statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post missam sit facienda. » Regula igitur est ut communio fidelibus statim post sanguinis pretiosi sumpcionem distribuatur; sed rationabilis causa, puta magna vis communicantium,

nimia ecclesiæ angustia, a servanda hac regula excusat. Ita Bened. XIV, de sacrif. Mis., l. 3, cap. 18, n. 9 et Const. 64, *Certiores effecti*, 4 et 5. 5° Idem pontifex docebat, ibid., sacram communionem in missis defunctorum cum paramentis nigris administrari posse, atque sententiam oppositam nullo modo admittendam esse. S. Rit. Cong. pluries hanc sacre communionis distributionem omnino prohibuit fieri cum paramentis nigris: verum, die 2 septembris 1741, statuit eam dandam esse ex particulis in ipsomet sacrificio consecratis, non vero ex particulis reservatis. Non percipimus cur Bened. XIV, cujus opus citatum typis mandatum est, anno 1748, de respons. S. Cong. diei 2 sept. 1741, non loquatur. Ead. Cong. de novo consulta per decisionem diei 12 aprilis 1823, respondit: *Dilata* (*Gardellini*, t. 7, p. 135 et 140): Unusquisque ergo usum suæ ecclesiæ sequi potest, donec aliter clare fuerit statutum. 6° Extra missam defunctorum, communio nunquam in paramentis nigris danda est: hinc, juxta *Merati* et S. Liguorium, sacerdos in nigris celebraturus, communionem immediate ante missam dare non debet, nec dare posset immediate post missam, nisi prius exuerit vestes nigras et stolam coloris requisiti acceperit.

2° *Locus communionis*. 1° Sacra communio dari potest in cunctis ecclesiis parochialibus, 2° in aliis ecclesiis vel oratoriis publicis in quibus asservatur Eucharistia, vel etiam non asservatur, si missa ibi celebretur, v. g., in cappellis seminariorum, xenodochiorum, monialium. 3° In privatis autem oratoriis dari non potest, etiam ex particulis in missa consecratis, sine expressa ordinarii licentia: ita Benedict. XIV, de Missæ sacrificio, l. 3, cap. 18, ac *Epist. encycl. ad episcopos Poloniae*, diei 2 junii 1751, § 23, et statuta diocesis Cenomanensis, anni 1788.

3° *Modus dandi communionem*. 1° Intra missam, dicto *Confiteor* a ministro, sacerdos extrahit pyxidem e tabernaculo, si formulas distribuendas in ea missa non consecraverit, et, post genuflexionem, vertit se ad communicaturos, dicit *Misereatur* et *Indulgentiam* in plurali numero,

etiamsi unica esset persona; sequitur ea quæ præscripta sunt in Missali ac in Rituali; omnibus communicatis, revertitur ad altare nihil dicens, nec dat benedictionem, etiam in missa defunctorum, ut asserit *Merati*, part. 2, tit. 10, n. 31. 2° Si communicatio immediate ante vel post missam petatur et justa ratio suadeat eam dandam esse, idem observatur ritus, excepto quod semper detur benedictio et dicatur antiphona *O sacrum convivium*, cum versiculo et oratione, quæ tamen non sunt de præcepto, sed de rubrica directoria. 3° Ubi communicatio non immediate ante vel post missam distribuenda est, duæ accendendæ sunt candelæ, juxta *Merati*; sacerdos, lotis manibus, superpelliceo et stola coloris officio illius diei vel sanctissimo sacramento convenientis indutus, dicto *Confiteor*, eam dat ut supra, et ad altare rediens, dicit antiphonam *O sacrum convivium*, versiculum et orationem ut in Rituali, et interea sacram pyxidem cooperit, in tabernaculo recondit, digitos abluit in vasculo super altare posito, et, manu dextra signum crucis faciens, dat benedictionem, quam cum pyxide nunquam dare debet, nisi super infirmos, ut dicemus infra. 4° Si minister non adesset, unus e communicaturis vel ipse sacerdos diceret *Confiteor* et responderet *amen*, ubi dicendum est: mulier autem hæc dicere non debet, nisi sit monialis inter clastrum. 5° In communionem monialium habentium fenestellam ex parte evangelii, sacerdos descendere debet et revertere per gradus anteriores altaris, non vero per laterales; sic S. Cong. Rit. diei 25 septembris 1736, et *Ferraris*, v° *Benedictio*, art. 5, n. 38. Sic descendendum et ascendendum est cum sacra pyxide quacumque ex parte sita sit mensa communionis: sic *Romsée*. 6° Sacerdos qui pollice et indice vel illorum usu privaretur, sacram communionem distribuere non posset; quia etsi tota manus sit consecrata, pollex tamen et index ad hoc ministerium, ex ritu Ecclesiæ, deputantur. Unde dispensatione summi Pontificis ipsi opus esset, similiter et ut manu sinistra uteretur. Probabile tamen videtur S. Ligorio, l. 6, n. 244, et l. 7, n. 408, eum sacram Eucharistiam in casu extremæ vel gravissimæ ne-

cessitatis, absque dispensatione, administrare posse: in eo casu iudicio episcopi standum esset. 7° Manu semper danda est communicatio, et nunquam mediante instrumento, ne pestis quidem alteriusve contagionis causa, quidquid nonnulli in contrarium dicant; neque probare audeamus sententiam eorum qui permittunt ut ægroto hostiam trajicere non valenti, præbeatur particula hostiæ in cochleari cum vino imposita: talis quippe praxis consuetudini Ecclesiæ opposita est et apud nos prorsus inaudita. 8° Sacerdos podagra laborans deferri potest ad altare, ut ibi sacram Eucharistiam administret, modo in reliquis Ecclesiæ ritum servare possit, et aliunde non prohibeatur. Ita S. Ligorius cum aliis, l. 6, n. 244.

4° *Modus sacram Eucharistiam asservandi*. 1° in primis sæculis sanctissima Eucharistia in nulla servabatur ecclesia, propter infidelium persecutiones; sed permittebatur Christianis particulas sacras ad proprias domos deferre, ibi reverenter asservare et singulis diebus, prout moris tunc erat, se illis reficere: sed tepescente pristina fidelium pietate, sanctissimum hoc Sacramentum cum debita reverentia non fuit susceptum nec asservatum. In sexto sæculo, concil. Cæsaraugustanum II prohibuit, sub anathematis pœna, ne quis Eucharistiam in ecclesia acceptam reservaret. Vetus disciplina circa hoc punctum jam cessaverat, et penitus fuit abrogata. 2° Statutum fuit ut sacra Eucharistia in cunctis ecclesiis sub fideli custodia, clavibus adhibitibus, servaretur, ne quis manum temerariam ad illam extendere posset. 3° Nunc in qualibet ecclesia parochiali servanda est, ut opportune petentibus semper dari possit; servatur etiam in ecclesiis conventualibus Regularium, imo, ex usu apud nos recepto, in omnibus capellis religiosarum communitatum. Sed in oratoriis privatis assidue retineri non potest, sine speciali concessionem episcopi ordinarii, juxta nos, et summi Pontificis, ex pluribus sacram Congregationum episc. et concil. decisionibus, apud *Ferraris*, v° *Euch.*, art. 1, n. 46 relatis. 4° Nullibi conservanda est sine lumine perpetuo ardente. « Si ob graviter » culpabilem negligentiam parochi vel ejus cui cura ista

» commissa est, integro die vel aliquot integris noctibus
 » lumen non ardeat ante venerabile Sacramentum, pec-
 » care eum mortaliter; secus, si per horam tantum, »
 docent plures apud S. Ligorium, l. 6, n. 248, qui et ipse
 hanc decisionem approbare videtur. Omnes fatentur hanc
 legem per se sub peccato mortali obligare. Si Ecclesia vel
 societas sanctissimum Sacramentum habere cupiens, ni-
 mis sit pauper, congregationes episcoporum et concilii
 volunt ut *instituantur quæstor vel eleemosynarum collector;*
Ferraris, vº Euch., art. 1, n. 45. Quod si lampas continuo
 ardere non possit, sanctissimum non asservetur Sacramen-
 tum, aut recurratur ad episcopum qui dispensationem
 pro ecclesia parochiali nimis paupere concedere poterit.
 5º Sacra species renovandæ sunt *singulis octo diebus aut*
saltem quindecim, inquit Bened. XIV, de Missæ sacrif.,
 App. 3, § 6, n. 4, et prima dominica uniuscujusque
 mensis, juxta Rituale nostrum: frequentius renovandæ
 essent si propter humiditatem præmatura timeretur cor-
 ruptio, et cavendum ne formulæ consecrandæ jam sint
 veteres, aut particulæ consecratæ in pyxide remaneant,
 aut magna formula in ostensorio ad expositionem collo-
 cata ultra mensem existat. 6º Cautè invigilandum est,
 absque ridiculis tamen sollicitudinibus, ut contingit
 scrupulosis, ne fragmenta hostiarum quantumvis parva
 pereant, vel irreverenter tractentur: sciendæ igitur et
 observandæ sunt regulæ hac de re in Rituale statutæ.
 7º Tabernaculum in quo asservandum est sanctissimum
 Sacramentum, in majori altari singularum ecclesiarum
 collocari debet, exceptis cathedralibus, propter functiones
 pontificales quæ fiunt versis rebus ad altare: sic definiit
 Congr. episc. die 10 feb. 1579 et 29 nov. 1590. Exterior
 deaurari debet ex toto, vel ex parte, et interius panno se-
 rico villosa, vel serico simplici vestiri. 8º Sanctissima
 Eucharistia in uno tantum altari ab episcopo designando
 asservanda est, sic decrevit S. Rit. Cong. die 21 julii 1696,
 (*Gardel., t. 3, p. 242*), cujus decretum non stricte apud
 nos servatur. 9º Venerandum Eucharistiæ sacramentum,
 in singulis ecclesiis ubi asservatur, publice exponi potest

saltem apud nos, in festo *Corporis Christi* et per octavam:
 in aliis temporibus nullibi publice exponendum est sine
 licentia episcopi diocesani; et ubi exponitur, semper ali-
 qui saltem ante illud orare debent clerici vel fideles.
 10º Bened. XIV, Inst. 30, n. 17, *Cavallieri, t. 4, p. 63,*
 statuunt vel docent coram sanctissimo Sacramento publice
 exposito saltem duodecim jugiter ardentia existere debere
 lumina. Item apud *Gardel. Instruct. Clem. XI, p. 37.*

5º *Modus sacram Eucharistiam ad absentes deferendi.*

1º Non deferenda est sine indumentis congruentibus,
 scilicet veste talari, superpelliceo et stola coloris sanctis-
 simo Sacramento convenientis, ac præcedente saltem uno
 lumine et omnibus caput discoopertum habentibus. Atta-
 men in locis hæreticis, licet eam in parva pyxide inclusam
 vel in corporali involutam cum vestibus consuetis et sine
 lumine deferre; item ubi, propter infideles vel incredulos,
 timetur persecutio vel scandalum. Quidam arbitrantur id
 pariter licitum esse propter tempestatem aut itineris lon-
 gitudinem. Rituale Cenomanense permittit ut sacerdos, in
 eo casu, bursam in qua parva pyxis continetur, vitta se-
 rica collo suo suspendat, pallio et etiam pileo se cooperiat,
 in equo vel in curru sedens iter faciat; sed a superpelliceo,
 stola, lumine et tintinnabulo non dispensat. Huic dispo-
 sitioni standum est. 2º Communius docent auctores sacram
 Eucharistiam sine lumine deferre aut administrare, aut
Confiteor omittere, peccatum esse veniale; ministrare au-
 tem sine stola et superpelliceo, esse mortale. 3º An in ne-
 cessitate viaticum sine vestibus et lumine ministrare liceat,
 inter se disputant theologi: *plurimi negant,* dicentes reve-
 rentiam tanto sacramento debitam potius servandam quam
 infirmum communicare; *alii communius affirmant,* quia
 præsumitur Ecclesiam quæ vestes et lumen in honorem
 sanctissimi Sacramenti præscripsit, in tali casu obligare
 noluisse. 4º Sacerdos sacram Eucharistiam cum vestibus
 sacris deferens, valde festinare debet si periculum immi-
 neat, non vero per viam publicam currere propter reve-
 rentiam Sacramento debitam: quidam tamen a S. Ligorio
 citati, l. 6, n. 242, et approbati, habent ut probabile quod

in necessitate sine irreverentia curri posset. 5^o Sacra Eucharistia nunquam deferenda est nocte, nisi urgeat necessitas et probabile non existat profanationis periculum; quo in casu non neganda est infirmo periclitanti. 6^o Nullus devotionis causa Eucharistiam secum deferre vel apud se habere potest: solus Pontifex maximus habet privilegium ut ante se deferatur. 7^o Eam olim præsentare licebat in criminis dubii purgationem, sicut nunc juramentum in nonnullis casibus defertur: at, juxta disciplinam actualem, id vetatur. Bened. XIV, de Missæ sacrif., l. 3, cap. 20, n. 2 et 3.

CAPUT QUINTUM.

DE SACRÆ EUCHARISTIÆ SUBJECTO.

Duplex hic exurgit quæstio: 1^o quinam ad sacram Eucharistiam admitti possint, et 2^o quas dispositiones habere debeant.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUI AD SACRAM EUCHARISTIAM ADMITTI POSSUNT.

Certum est 1^o quoscumque infideles, id est, non valide baptizatos, ad divinum illud sacramentum admitti non posse, quia Baptismus est janua aliorum sacramentorum.

Certum est 2^o hæreticos, schismaticos, apostatas et incredulos ad idem sanctissimum sacramentum non admittendos esse. *Ratio patet*, et talis semper fuit praxis Ecclesiæ: « Hoc alimentum apud nos vocatur Eucharistia, cujus » nemini alii licet esse participi nisi qui credat vera esse » quæ docemus. » S. Just., Apolog. I, n. 66.

Quædam nobis dicenda sunt 1^o de infantibus et pueris; 2^o de amentibus; 3^o de surdis et mutis; 4^o de peccatoribus et capite damnatis.

1^o De infantibus et pueris.

1^o Infantes baptizati et usum rationis nondum adepti,

Eucharistiam sumentes, gratiæ augmentum suscipiunt, quia status gratiæ sufficit ad fructum hujus sacramenti percipiendum.

2^o Olim apud Latinos mos erat dare infantibus baptizatis et confirmatis sacram Eucharistiam, ut omnes fatentur. S. Cypr., l. de Lapsis, refert, seipso teste, puellam lactentem, in cujus ore immisum fuerat vinum idolis consecratum, postea, sacra vini specie accepta, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpisse luctu abundam jactari, donec totum evomisset: *In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Hæc disciplina, cujus S. Aug., S. Greg. Magnus mentionem faciunt, diu perseveravit: sed tempore S. Th. anno 1274 defuncti, penitus desierat; sanctus Doctor enim ait, 3 part., q. 80, art. 9 ad 3^{um}, sacra mysteria pueris recenter natis danda non esse, *quomodo quidam Græci contrarium faciunt.* Merito usus ille pristinus fuit abrogatus; 1^o quia Eucharistia non nisi sub specie vini dari poterat hujusmodi parvulis, et periculum erat effusionis; 2^o quia parvuli Eucharistiam acceptam sæpe evomebant aut spuebant; 3^o quia sanctissimo Sacramento assuefacti ab infantia, illud postea minus verebantur, etc.

3^o Græci veterem servant consuetudinem dandi Eucharistiam infantibus, post Baptismum et Confirmationem, ut videre est apud Arcudium, l. 3, cap. 40, et *Renaudot*.

4^o Pueris qui usum rationis nondum habent non danda est communio apud nos, etiam in articulo mortis, propter rationes superius expositas, et præsertim quia talis est usus Ecclesiæ Romanæ ubique receptus.

2^o De amentibus.

Perpetuo amentibus omnino neganda est Eucharistia, etiam in articulo mortis: sic S. Th., 3 part., q. 80, art. 9, cum illo omnes theologi et Rituale Romanum sequentibus verbis: « Amentibus seu phreneticis communicare non » licet: licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla » et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si » nullum indignitatis periculum adsit. »